

DIE XIV OCTOBRIS

INFESTO

S. CALLISTI

PAPÆ ET MART.

DUPLEX MIN.

ORATIO.

Deus, qui nos conspicis ex nostra infirmitate deficere: ad amorem tuum nos misericorditer per Sanctorum tuorum exempla restaura: Per Dominum.

In primo Nocturno
*lectiones de Scriptura
occurrente.*

IN SECUNDO

Nocturno.

Lectio IV.

Callistus Romanus

præfuit Ecclesiæ Antonino Eliogabalo Imperatore. Constituit quatuor anni tempora, quibus jejunium ex Apostolica traditione acceptum ab omnibus servaretur. Ædificavit Basilicam Sanctæ Mariæ Transtiberim, et in via Appia vetus cœmeterium ampliavit, in quo multi Sancti Sacerdotes et Martyres sepulti sunt, unde ab eo Callisti cœmeterium appellatur.

R. Honestum.

Lectio V.

Ejusdem pietatis fuit, quod Beati Calepodij Presbyteri et Martyris

corpus jactatum in Tiberim conquiri diligenter curavit, et inventum honorificè sepelivit. Palmatium consulari, Simplicium Senatoria dignitate illustres, Felicem et Blandam, qui deinde omnes martyrium subire, cum baptismo lustrasset, missus est in carcerem, ubi privatum militem ulceribus plenum admirabiliter sanitati restitutum Christo adjunxit, pro quo idem, recens adhuc à fide suscepta, plumbatis usque ad mortem cæsus occubuit.

R. Desiderium.

Lectio VI.

Sedit Callistus annos quinque , mensem unum , dies duodecim. Ordinationibus quinque , mense decembri, creavit Presbyteros sexdecim , Diaconos quatuor , Episcopos octo. Post longam famem crebrasque verberationes præceps jactus in puteum, atque ita martyrio coronatus sub Alexandro Imperatore, illatus est in cæmeterio Calepodij via Au-

relia , tertio ab urbe lapide , pridie idus octobris. Ejus postmodum corpus in Basilicam Sanctæ Mariæ Transtiberim , ab ipso ædificatam delatum, sub ara majori , maxima veneratione colitur.

R. Stola.

*In tertio Nocturno
Homilia Sancti Hilarij
Episcopi super Evangelium
Nihil est operatum ut in Breviario
Romano hac die.*

*Pamplona: POR FRANCISCO ERASUN Y RADA.
AÑO 1826.*

DECRETUM.

Cum Emus. & Rmus. D. Card. Despuig Titularis Ecclesiæ S. Callisti, nomine etiam Emi. & Rmi. D. Card. Pignatelli Titularis Ecclesiæ S. Mariæ Transtiberim, in qua requiescit corpus ejusdem S. Callisti, ipsius Basilicæ Fundatoris, necnon nomine Capituli, & Canonicorum memoratæ Basilicæ enixis precibus Smo. Dño. Nostro Pio VII. Pont. Max. supplicaverit pro elevatione ritus in universa Ecclesia Catholica Officii prælaudati S. Callisti Papæ et Martyris à semidupl. ad ritum dupl.. Beatissimus Pater jam à tempore, quo inter S. Rom. Ecclesiæ Cardinales recensebatur, ac prædictæ Ecclesiæ S. Callisti Titulum obtinebat peculiari devotionis sensu erga memoriam tanti Pontificis, qui Ecclesiam Dei sanctissimis institutionibus communivit semper affectus, referente R. P. D. Hieronymo Napulionio Fidei Promotore, libenter annuit pro gratia, ac Officium sæpèdicti S. Callisti in toto Orbe Catholico à ritu semiduplicis ad ritum duplicis minoris elevavit; illudque cum suprascriptis Lectionibus secundi Nocturni propriis, quibus utitur Sacrosancta Ecclesia Lateranensis in posterum recitandum esse præcepit. Die 2. Septembr. 1803. = A Card. Matthæjus. Loco ✕ Sigilli. = J. de Carpineo S. R. C. Secret.

